



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 56. Severus, Petrus, & Zoara damnantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

cite, clamabant, *impios, qui in Domibus* Sæculum VI.  
*privatorum baptizant! destruite Zoaræ* A.C. 536.  
*speluncam! incendite Hæreticorum lati-*  
*bula! ut quid Petrus Monasteria habet,*  
*omnis generis Hæreticorum receptacula?*  
 Rogabat Patriarcha importunos ut ex-  
 pectarent, donec Imperatoris volunta-  
 tem explorasset. Hunc finem sortita est  
 Sessio quarta, cui septuaginta & unus  
 Episcopus subscripserunt. Latini sub-  
 scripserunt Latine, Græci Græce & Syri  
 numero quadraginta Syriace.

## §. LVI.

*Severus, Petrus & Zoara damnantur.*

Ad Sessionem quintam quarta Junii an-  
 no 536. conventum. Theodorus Re- p. 100.  
 ferendarius Libellos Imperatori ab Epis- p. 107.  
 copis secundæ Syriæ, Abbatibus Constan-  
 tinopolitanis & quibusdam Jerosolymita-  
 nis traditos attulit. His legi jussis &  
 Referendario Imperatoris recedente, p. 118.  
 lecta est etiam Epistola Monachorum ad  
 Patriarchas Romanos & Concilium dire-  
 ctam. In ea dicebant, Sententia in An-  
 thimum pronunciata, jam cogi se etiam  
 accusare Severum & Petrum, qui totum  
 Orientem perturbassent. Hic ipsorum  
 crimina, superius memorata, referunt, Sup. XXXI  
 & petunt, ut Severus & Petrus Anathe- §. 45. 46.  
 mate percutiantur, Imperator vero ro- p. 126.

Nn 5 getur,

Sæculum VI. A. C. 536. getur, ut eos Constantinopoli ejiciat, Conventus illicitos prohibeat, & scripta impia Severi flammis consumi jubeat. Subjungunt: *Petimus etiam, ut ille Syrus damnetur, qui Zoara dicitur, homo stupidus & insolens, qui nihil, nisi quod ab istis didicit, capit.*

Huic Libello satisfacturi Romani potularunt, ut duæ Epistolæ Hormisdæ Papæ, prima 10. Febr. anno 518. ad Monachos secundæ Syriæ, & altera ad Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum 26. Maji anno 521. datæ legerentur, in quibus Severum Antiochenum, & Petrum Apamiensem damnabat. Legatis has epistolas latine scriptas exhibentibus versio earum Græca prælecta est. Tum

Concilium Constantinopolitanum. *p. 143. Sup. XXXI §. 38. 54.* Patriarcha Mennas Notarios Ecclesiæ Constantinopolitanæ Tabulas ad hanc Causam pertinentes producere jubet. Lectus est Libellus Clericorum & Monachorum Antiochenorum Patriarchæ Constantinopolitano Joanni & ipsius Synodo anno 518. traditus. Item Relatio ejusdem Synodi Patriarchæ facta, in qua Severus anathematizatur. Libellus Abbatum Constantinopolitanorum, vi cujus Concilium Sententiam dixerat. Tum Acclamations in Ecclesia Constantinopolitana 15. Julii anno 518. Epistolæ

*ibid. n. 40.* Joannis Constantinopolitani ad Joannem Jerosolymitanum & Epiphanium Tyriensem

fem in Causa Reconciliationis. Epistola Synodalis Joannis Jerosolymitani ad Joannem Constantinopolitanum. Epistola Epiphaniï Tyriensis ad Concilium Constantinopolitanum. Acclamationes in Ecclesia Tyriensi 16. Sept. 518. Epistola Episcoporum secundæ Syriæ ad Joannem Constantinopolitanum & ipsius Synodum, continens Accusationes contra Severum & Petrum. Inquisitiones illius Provinciæ Præsidis contra Petrum secundum Libellum a Clericis Episcopis oblatum. Libellus Monachorum Apamiensium ad eosdem Episcopos.

Sæculum VI.  
A. C. 536.

n. 44.

n. 46.

Conc. p. 243.

His omnibus perlectis Mennas Patriarcha, quid Patres sentirent, exposcit. Romani primo respondent in hunc modum: *Liquet, Severum, Petrum & Socios ipsorum jam diu Hormisdæ Papæ Decretis fuisse damnatos, quamobrem eos arbitramur damnatos cum impiis Severi libris contra Decreta Concilii Calcedonensis & S. Leonis Epistolas. Eodem Anathemate involvimus Zoavam, omnesque, qui cum ipsis communicant. Tum Concilium dixit: Anathema Severo & Petro jam diu damnatis & Zoaræ! Anathema Baptismo adulterino, & impiis Severi Libris!* Mennas Patriarcha Concilii Judicium Sententia solemniter pronunciata confirmavit. Ita Concilium Constantinopolitanum finitum, maxime ob Acta, quæ suo quæque

p. 150.

p. 251.

p. 254.

Sæculum VI. que tempore retulimus, huic quintæ Ses-  
A. C. 536. sioni inserta memorabile.

Nov. 42. to. 6. Justinianus Imperator Concilii Sen-  
Conc. p. 264. tentiam Constitutione ad Mennam Pa-  
 triarcham directa, quam verisimiliter i-  
 psius precibus concessit, confirmavit.  
Concilii Exi- Prohibet ne Anthimus, Severus, Petrus &  
tus. Zoara Civitatem Constantinopolim aut  
 quameunque aliam, quæ majoribus ac-  
 censerî possit, ingrediantur. Severi li-  
 bros cremari jubet, eorum descriptio-  
 nem prohibet, & qui transcripserit ab-  
 scissa manu dextra temeritatem luat.  
 Omnibus Hæreticis præsertim Sectato-  
 ribus Nestorii, Eutyichis & Severi prohi-  
 bet, ne Seditionem excitent, nec Pacem  
 Ecclesiæ agendo Conventicula illicita,  
 aut illegitima Sacramentorum Admini-  
 stratione perturbent. Hæc Lex sexta  
 Aug. anno 536. data.

to. 5. Conc. Monachi ex Palæstina, qui Constan-  
Nov. 40. tinopolim missi fuerant, hanc Legem,  
 Epistolam Mennæ Patriarchæ, ad Petrum  
 Patriarcham, & Acta Concilii Constan-  
 tinopolitani Jerosolymam detulerunt.  
 Cum Petrus Patriarcha Concilium suum  
 Jerosolymæ decimo tertio Cal. Octobr.  
 post Consulatum Belisarii Indictione de-  
 cima quinta, id est, 19. Sept. 536. con-  
 vocasset, in eo Sententiam a Patribus  
 Constantinopolitanis Canonice latam  
 comprobarunt, & Anthimi Depositionem  
 con-

confirmarunt; nam cœteri diu antea sa-  
tis damnati fuerant. Huic Sententiæ  
quadraginta novem Episcopi subscripse-  
runt, inter quos Petrus Jerosolymitanus,  
Elias Cæsariensis & Theodosius Scytho-  
polititanus eminebant. Credibile est, in  
Provinciis plura ejusmodi Concilia fuisse  
celebrata.

Eusebius Presbyter, thesauro Eccle-  
siæ S. Sepulchri Jerosolymæ Præfectus,  
unus ex illis, qui ad Concilium delegati  
fuerant, dum Constantinopoli versatur,  
in favorem suæ Ecclesiæ Privilegium ob-  
tinuit, quo alienare sibi liceret Domos,  
modicos Reditus afferentes, ut Peregri-  
norum innumerabilium, qui ad visitan-  
da sacra loca confluebant, inopiæ faci-  
lius succurreret. Illud quoque Concilii  
effectus credi potest, quod ad reprimen-  
da Schismaticorum molimina Imperator  
prohibuerit, ne S. Sacrificium Constans  
Constantinopoli in Oratoriis domuum privata-  
rum celebraretur nisi a Clericis, quos  
Patriarcha misisset, addita poena, ut e-  
jusmodi Domus Fisco addicerentur. Hæc  
Lex anno sequente 537. sicut etiam illa,  
quæ sumptus in Exequias impendi soli-  
tos moderatur, data. Constantinopoli  
mille & centum Tabernæ numerabantur,  
quæ curando cujuscunque funeri neces-  
saria tenebantur suppeditare, ideoque  
ab omnibus aliis Tributis eximebantur.

Quod-

Sæculum VI.  
A. C. 536.

Nov. 40.

Nov. 58.

Nov. 59.

Sæculum VI. Quodlibet feretrum, id est, corpus de-  
A. C. 536. functi, octo Moniales cantantes & tres  
Nov. 43. Acolyti comitari debebant. Ex illis un-  
 decies centum octies centum Tabernæ  
 Fossores dabant, qui Decani, seu Lecti-  
 carii dicebantur, & ex omnibus Artifi-  
 cum Societatibus sumebantur. Tre-  
 centæ Tabernæ reliquæ solum pecunias  
 dabant. Itaque omnium Defunctorum  
 Exequiæ gratis ducebantur, nisi quis Pom-  
 pam augere & expensis communibus ali-  
 quid addere vellet.

## §. LVII.

*Silverius Papa. Deinde Vigilius.*

*Liber brev.*  
*c. 22.*

*Chr. Mar-*  
*cell. 536.*

*Lib. Pontif.*

Cum de Morte Agapiti Papæ nuncium  
 Romam allatum fuisset, jubente Theo-  
 dato Rege in ejus locum suffectus est Sil-  
 verius Subdiaconus Hormisdæ Papæ fi-  
 lius, qui annis duobus sedit. Interim  
 Theodora Augusta Vigilio, Ecclesiæ Ro-  
 manæ Diacono, qui Constantinopoli ver-  
 sabatur, clam ad se vocato, promissum  
 extorquet; ipsum Concilium Calcedo-  
 nense abrogaturum, atque ad Theodo-  
 sium Alexandrinum Anthimum, & Seve-  
 rum litteras daturum, quibus Fidem ipso-  
 rum approbaret. Ipsa econtra Vigilio  
 auri libras septingentas pollicebatur, mit-  
 tebatque Mandata ad Belisarium, ut Pa-  
 pa eligeretur. Vigilius fide foeminae da-  
 ta & accepta Romam venit, Silverio Sa-  
 cram Sedem jam occupante. Ergo Ra-  
 vennam